Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36552
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Ut nobis inquit fiat corpus et sanguis dilectissimi filii tui domini nostri iesu christi. Fecit quod fides instituit. Fecit quod christus indulsit ut nobis sit corpus et sanguis. id est ut quatinus per hec nos in corpus christi cottidie transferamur. Prius autem quam corpus consecratione fiat. oblatio sacerdotis est. sicut ipse confitetur. et cuncte familie offerentium tamen. Sed in verbo et virtute spiritus sancti nova fit creatura in corpore creatoris ad nostre reparationis salutem. Unde iuxta sublimis ara altaris semper assistere scriptura testatur per beatum. ut tunc ei immolatione corporis et sanguinem percipiamus. Ceterum sacerdos qui vices christi visibili specie inter deum et populum agere videtur infert per manus angeli vota populi ad deum et refert. Vota quidem offert et munera. refert autem impetrata per corpus et sanguinem et distribuit singulis. non quantum visus exterior probat sed quantum fides capit. Ubi licet sacerdos in conscientia malus est. cuncta tamen non suum est quod offert sed omnium preces et vota per omnem canonis textum commendat. Hanc et finis orationis cunctorum vocibus confirmatur. Ubi omnis amen voce consona dicunt. Id circo numquam est quod per multos offertur. et multorum precibus confirmatur. datur namque et dominus ait quod pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Si enim per se tantum esset eius merita deus forsitan attenderet. Hec autem licet sit etiam ipsius qui offert munda sunt quamvis hauriunt. quia caro et sanguis salvatoris nullius inmundicia sordidatur.

Ex officio quoque sacerdotis ista. sequitur de oblationibus que pro mortuis offeruntur.

Non negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari. cum pro illis sacrificium mediatori offertur. vel elemosine in ecclesia fiunt sed eis hec prosunt qui cum viverent hec sibi ut postea possint prodesse meruerunt. Est enim quidam vivendi modus nec tam bonus ut non requirat ista post mortem. nec tam malus